



**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egrae, 1689

Problema XXVIII. Cur incarnandus Dei Filius rori comparetur? Dominica I.
Adventus. Rorate Cœli de super! Isaiæ 45.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



PROBLEMA XXVIII.

Cur incarnandus DEI Filius rori comparetur?
DOMINICAI. ADVENTUS.

Rorate Cæli desuper ! Isaiæ 45.

§ 1.
Uti solaris
annus, ita
Ecclesi-
sticus
quadrifra-
giam divi-
ditur.



Uem admodum annus solaris in quatuor partes: Ver, & statem, Autumnum & Hyemem sapienter est divisus; ita sapientissimè in quatuor principales partes, annum suum sanctum, Sancta Mater Ecclesia partitur: Adventum scilicet, Quadragesimam, Pascha & Pentecosten. Initium facit hodie à Dominico Adventu; qui quia quadruplex est, quatuor item dominicas sese in sequentes quadruplici Adventui sacras esse voluit; quarum quælibet diverso Domini ad nos adventui correspenderet. Et primus quidem Domini adventus fuit secundum Carnem; quando videlicet Verbum Domini carne vestitum apparuit: quem figurasse videtur in Evangelio Dominicæ quartæ, utpote Nativitati Christi vicinissimæ, in quo mentio fit vaticinij Isaiæ Prophetæ, de Messia venturo ita vaticinantis: *Videbit omnis Caro Salutare DEI.* Quo tempore mundus quasi in Vere quodam delicioso fuit, ac florido; siquidem *Virga Iesse tunc floruit & flores apparuerunt in terra nostra.* Cant. 1. secundus Domini Adventus fuit, estque defacto per inhabitantem corda nostra gratiam sanctificantem, secundum illud Christi: *si quis diligit me, Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus.* Joannis 14. Adumbratur adventus hic in Evangelio Dominicæ Problemata P. Philippi Hartung.

Isaiae 40.

Matth. 11.

secundæ, in quo multiplices gratiæ, à Christo adveniente, hominibus collatæ memorantur, quæ gratiæ fructus quidam autumnales sunt, & poma nova. Cantic. 7. in vicem pomi Adamei, humano generi fatalis, à Redemptore nostro mortalibus allata. Tertius Domini adventus erit in particuli cujusque nostrum judicio juxta illud Pauli: *statutum est omnibus hominibus semel mori, & post hoc judicium.* Huic respondet Evangelium Dominicæ tertiae Adventus, ubi Joannes: *Tu quis es?* rigidè examinatur. Hoc verò Judicium brumali temporis apprimè comparatur. Quartus Domini Adventus erit in die judicij, quem ipsum hodiernum Evangelium æstivo tempori comparat. De novissimo hoc adventu, quia jam fusè egi alibi, & S. Mater Ecclesia singulis totius adventus diebus solenni suo *Rorate* primum Domini adventum in carne, nobis in memoriam revocat, huic ipsi & ego hodie immo rabor, quæstionem hanc resoluturus: *Cur incarnandus DEI Filius rori comparetur?*

Hebr. 9.

Famosus ille inter Poëtas Naso Tomitanus postquam mundi Creationem versibus suis adamissim depictisset, in quatuor ætates eam ita dispertijt, ut primam auream, argenteam alteram, tertiam æneam, quartam demum ferream compellaret:

Aurea prima sata est ætas, - - -
Subiitque argentea proles,

X

§ 2.
Mundus in
quatuor
ætates
divisus.

Tertia

(Proles)

Tertia post illam successit ahenea
de duro est ultima ferro.
Hæc ille sub gratio fabularum in-
volucro. Et sanè, si nuda sub veri-
tate rem consideremus atque pro-
ponamus, quid aliud fuit Innocen-
tiæ prima ætas, quam ætas argen-
tea, argento pretioso æquè ac can-
dido persimilis? Verùm proh dolor!
vix paucorum illa dierum, imò nè
vix quidem, sed paucarum fortè ho-
rarum fuit, & en mox illi ferrea suc-
cessit, ferreos proferens homines,
qui horridis diluvij aquis absorpti,
mole sua graves, in ima barathri
præcipites, ferri ad instar iverunt.
Ætatem ferream ænea subsequita
est, qua durante scriptam legem
DEUS Israëlitico dedit populo, æ-
neumque serpentem Moyse exalta-
vit in deserto. Extrema tandem æ-
tas illuxit aurea, quando DEUS ipse,
simul Dominus, illuxit, & in carne
nobis apparuit. Ætas profecto aurea,
ac felicissima, quæ ceteras omnes
fulgentissimi auri, margaritarum,
& omnigena bonorum copia super-
avit: tunc enim apertis, imò disruptis Cœlis, qui teste Jobo solidi, &
quasi ære fusi, veluti quodam cor-
nucopiæ super tellurem effuso, quæ
antehac marcida, sterilis, & infæ-
cunda reviviscere, & revirescere cœ-
pit humus; impletumque est illud
Davidicum: *Descendet Christus
Messias sicut pluvia in vellus, &
sicut stillicidia stillantia super terram.
Orietur in diebus ejus Justitia, &
abundantia pacis.* Veluti post plu-
viam vernam, seu Majalem rorem
fieri assolet. Hæc nimirum est illa
pluvia, hic ros tantis tamque diutur-
nis per quinque millenos centum &
nonaginta novem annos antiquorum
Patrum votis expetitus, inde-
finiter clamantium: *Rorate Cœli
desuper, & nubes pluant justum, Ro-
rârunt, pluerunt, in tantum qui-
dem, ut, quod prædictum Joël c. 3. In*

illa die (id est Incarnationis Christi)
stillaverint montes dulcedinem Cœ-
leftis illius roris. Plūsne amabò ad
auream ætatem, sœculumque re-
quiri potest, quā cum Cœli nil,
præterquā merum aurum, aurum
purissimum rorant, & verò pluunt?
Quòd si enim rorem ordinarium, &
pluviam, auri insignimus nomine,
quā sitiens terra opportunè irriga-
tur, singulásque guttas merum at-
rium reputamus, non alia de causa,
quā quòd irrigatio ejusmodi fru-
gibus mirum in modum proficia,
ubertatem rerum omnium sponde-
at, & afferat; quantò magis rorem
vocamus aureum, pluviamque au-
ream, voluntariam illam, quam se-
gregabit DEUS hæreditati suæ? Et
verò, quid aliud est Caro Christi in
utero Virgineo concepta, nisi aurum
optimum, quale in terra Hevilath
progignitur? ità docet S. Richardus
à S. Laurentio inquietus: *corpus Ma-
rie terra est Hevilath* (Genesis 2.)
*de qua exortum est aurum optimum,
scilicet Caro Christi, ex cuius pretio
impretiabili omnes Justi locupletati
sunt.*

ps. 67.

Richardus
lib. 4. de
laud.
Virginis

Numer. 21.

Job. 37.

P. 71. v. 6.

Mal. 45. v. 8.

S. Augustinus lib. 1. Confess. c.
15. fabulam recenset, quam 4. Me-
tamorph. scripsit Ovidius: quòd
summus Deorum Jupiter inamora-
tus sit in puellam Danaën (quam a-
heneæ turri inclusus Pater Acrisius,
nè illius pulchritudo cuiquam mortali-
um pateret) útque eadē frue-
retur, in rorem aureum se mutârit,
atque sic transformatus in puellæ
sinum illapsus sit, ex cuius de-
inde partu Perseus prodij Gorgonis
domitor. Placuit hæc fabula Au-
gustino, ut umbra ingeniosæ veritatis.
Jupiter idem significat, quod
Juvans Pater, & denotat Filium
DEI, qui ab Isaia cap. 9. v. 8. *Pater
futuri sœculi nuncupatur, hoc est au-
rei sœculi.* Adamavit hic pulcher-
rimam mulierum, David filiam, quæ
erat

§ 3.
Jovem in
rorem au-
reum an-
te Danaës
mutatum
fabula est:
Filium
Dei velut
rorem au-
reum vir-
gini illa-
plum, ve-
ritatis est.

Nicolaus
Caulinus
symb. L. I.

erat ipsamēt Turris David., Turris
eburnea, Turris Libani cum propugna-
culis, ut ait S. Bern. serm. 4. super sal-
ve. in cuius castissimum sinum se in-
sinuans homo factus est, & homi-
num quidem heroūmque fortissi-
mus, qui infernale monstrum con-
trivit, mundūmque totum aureo,
id est, gratiarum & donorum om-
nium rore irroravit. Præfatus Ju-
piter (eodem Nasone fictore) tene-
rum sui cultum compensaturus
Rhodijs, aureique cujusdam seculi
speciem facturus, super eos auream
rupit nubem, aurōque in signum
favoris pluit. At obmutescat Ovi-
dius : sileant Rhodij aureum in nube
Jovem, quinimō stupeant, & admi-
rentur in omnibus aureum Numen:
quantus enim non iste DEI favor est,
quantæ non opulentia seminarium,
non unam aliquam roscidam nu-
bem, sed ipsum, ut ita dicam peccatum
rupisse, indéque fontem omnis bo-
ni, thesaurosque incomparabiles
non super unam Rhodium, sed su-
per universum mundum effudisse !.
sic DEUS dilexit mundum, ut Filium
suum unigenitum daret, ait ipsemet
DEI Filius Joannis 3. quasi diceret :
sic dilexit, ut magis non potuerit :
dedit enim cum hoc rore & pluvia
aurea quidquid habuit Paulo teste :
quomodo non etiam cum illo omnia do-
nauit nobis ? Rom. 8. v. 32. scitè Hu-
go in illud Matth. 13. simile est Regnum
Cælorum thesauro &c. Christum,
DEI Thesaurum appellat ; rursus
explanans illud, quod sequitur : simile
est homini negotiatori querenti bonas
margaritas &c. Christum margaritæ
comparat pretiosissimæ, quæ ex sæ-
pedicto aureo rore cœlitus delapso
nata est. Divus item Ambrosius,
margarita (inquit) Christus est Do-
minus, quam negotiator ille diues in
Evangelio, venditis omnibus rebus
suis emere festinauit, & maluit omnes
quas habebat seculi gemmas amittere,

tantum ut unam Christi emeret marga-
ritam.

Quærit Job 38. v. 28. quis ge-
nuit stillam roris ? O Job quām mi-
rror, te id ignorare, si de rore naturali
quæris, respondebo cum Physiolo-
gis, Lunam esse genitricem roris ; si
de Divino loqueris, dico : pulchra
ut Luna Maria hujus roris Genitrix
fuit, & idcirco hoc sacro Adventū
tempore illius honori Rorate decan-
tatur ; Maria equidem est, quæ pro-
cedit quasi aurora, seu aura rorans,
cujus castissimus uterus conchæ in-
star fuit, in quam Ros ille aureus de-
cidens in pretiosissimam margari-
tam efformatus est. Quapropter

Orat. de
Nativ. Vir-
ginis

S. Damascenus hortatur : Lætetur
mundi mare : in ipso concha gignitur,
quæ cœlitus concipiet, & Christum, in-
gentis pretij unionem pariet. Et D.
Ephrem serm. de margar. pretio : O
immensam DEI liberalitatem ! conchæ
enim (Mariæ) committit margaritam
id est, Filium suum.

Plinius l. 9. c. 35. principium,
culménque pretij rerum omnium
margaritam appellat. Tertull. Lib.
de habitu mulier : vocat eas Patri-
monia. quasi nimirum pretio suo
ampla patrimonia & hereditates,
imō Insulas & Regna integra exæ-
quent. Brevisimis conchæ prolibus
(inquit) patrimonium grande præ-
fertur, saltus & Insulas cervix fert.

Epiphanius
cp. 40.

Ob hoc margaritæ, ut res desidera-
tissimæ votum mundi dictæ sunt.
Inde etiam metaphora ad homines,
quinobis præ alijs cari & desiderati
sunt, dicitur, ut margaritæ dicantur.
Sic Theodora Augusta Theo-
dosium post longa desideria fese illi
exhibitent, Gemmam suam nun-
cupavit. Sic Proclus in panegyrico
Chrysostomi, eum prædicationis
margaritam asseruit ; cupidissimè si-
quidem ab omnibus audiebatur. Et
quis amabat majoris pretij, quis ma-
gis in votis orbi universo erat, quām

X 2

Christus

D. Ambros
in festo S.
Luciae.

Christus Messias : qui idcirco
Prophetæ Aggæo desideratus cun-
dis Gentibus ac populis indigitatur
Aggæi 2, v.
§.

Veniet desideratus cundis Gentibus;
vel ut Hebræus habet: *venient desi-
deria cundarum Gentium.* Licet e-
nīm (ait Cornelius hic) Gentes in-
fideles eum non desiderarent desi-
derio & appetitu elicito , utpote
quem non cognoscebat, desidera-
bant tamen appetitu innato seu na-
turali , tanquam sibi maximè utilem
& necessarium ad hoc, ut è suis te-
nebris liberarentur, sicut terra arida
hiando pluviam, & quodammodo
ipsa clamat: *Rorate Cœli.*

§ 5.
Margaritæ
magni pre-
tij: sed ma-
ximi, & in
æstimabi-
lis Incarna-
tus Dei Fi-
lius.

Gemmæ ob pretium & venu-
statem, quâ nitent, præcipua ho-
minum ornamenta sunt. *Gemmæ*
(inquit Tertull. de habitu mulier: c.
6.) *tarde teruntur, ut niteant, & sub-
dole substruuntur, ut floreant, & an-
xiæ forantur, ut pendeant;* de collis
videlicet, auribus, & pectore &c.
quo sepe ornandi studio fæminas
maximè distineri asserit, porrò in-
quiens: *maximi pretij margarita mun-
dum muliebrem per summam lasci-
viam mirandum in modum invasit.*
Non pudet miseris totum suum stu-
dium in hoc ostreo ponere. Verùm
quid margaritæ orbis universi, si in
computum veniant cum illa, quæ
est Christus ex cœlesti rore aureo in
oncha Virginei corporis concepta
& efformata? Omnis illarum splen-
dor respectu hujus meræ tenebræ;
pretium, non nisi quisquiliæ sunt.
O quâ infinites venustris hoc u-
nione exornata comparuit S. Agnes,
castissima sponsa, quæ dum ad pro-
fanas nuptias à Præside solicitaretur,
hunc in modum protestabatur:
*Amo Christum, in cuius thalamum in-
troibo; cuius Mater Virgo est, cuius
Pater fæminam nescit: quem cum ama-
vero, casta sum, cum accepero, Virgo
sum, qui dexteram meam & collum
meum cinxit lapidibus pretiosis, tradi-*

*dit auribus meis inæstimabiles marga-
ritas, & circumdedit me vernantibus
atque coruscantibus gemmis.* Quâm
longè illustrior incessit conversa ad
Christum Pelagia Antiochenaque
dum meretricio ornata in tantum
fulgebat, ut mera gemma videri
posset; rogata enim subinde à S. Nilo,
quod ipsi nomen? respondit: *natu-
rali nomine Pelagia dicta sum à Paren-
tibus, Cives verò Antiochiae marga-
ritam me vocant, propter pondus or-
namentorum, quibus me adornaverunt
peccata mea.* Ego enim eram orna-
mentum & ergasterium Diaboli. Qua-
si dicere voluisset, ornamenta, qui-
bus peccatrix ornabatur, fuisse qua-
si carbones & titiones inferni, respe-
ctu donorum Cœlestium, gratiæque
Divinæ, quâ eam verus sponsus
Christus JESUS decoravit. Rectum
judicium, & prorsus conforme D. August.
Margarita pretiosa est Christus, sînè qua nihil tibi prodest quod-
cunque habueris; quam si solam ha-
beas, sufficit. Huic enim verò longè
melius convenit epigraphe, quam
Carolus IX. Rex Galliarum Gemmæ
cuidam insculpi fecit, Nobili pòst
matronæ donatae: *Qui me habet, om-
nia habet.*

Tract. s. in
ep. Joan.

De Cornelia Gracchorum Ma-
tre scribit Valerius, cùm Campana
Matrona apud illam hospitata, an-
nulos, uniones, gemmas, omnia
denique ornamenta sua illò seculo
pulcherrima ostendisset, Corneliam
dum è schola redirent liberi (qui ad
nutum Matris Campanam salutatu-
ri acceferant) dixisse hospitæ: *haec
mea ornamenta sunt.* O quantò ma-
gis anima, quæ Christum, hanc
gemmam possidet, illius gratiæ orna-
ta dicere potest: *Haec ornamenta mea
sunt.* Sicut enim teste S. Ignatio
Mart. pretiosissimum Christi moni-
le sunt Virgines, atque adeò omnes
animæ justæ; ità illis pretiosissimum
monile est Christus.

A. A.

In officio
Ecclesi:

§ 6. A.A. Faciamus ad Epilogum, bre-
Quām vili-
aliqui ro-
rem aure-
um, & pre-
tiosissi-
mam mar-
garitam
habent.

vem super nos ipsos reflexionem , in quo pretio memoratum hucusque Cœlestem aureumque Rorem & Margaritam habuerimus. Nobilissimus nonnemo in Gallia Cardinalis gemmam habuit charissimam, quam propter mirificam lucem & pulchritudinem centum ferè milibus aureorum aestimabat , dederat hanc fidissimo familie suæ securitatis gratiâ ad cor gestandam. Verbum , quod nostri amore Caro fatum est, dignissima sanè gemma est, quæ ad cor, imò in, corde ipso mundo, ut concha , feratur. Sed (prô) quām multi mortalium cæci sunt ! qui pretiosissimam hanc gemmam vilissimis rebus posthabent ! Quid vilius edulio lentis ? & tamen huic pretiosam primogenituram Esau postposuit. Esau ad mentem Cornelij peccatorem significat edulium vile, vilem quamvis delestationem, quam in quovis gravi peccato inquirit peccator. Primogenitura Mariæ Primogenitus Christus est, & sancta ejus gratia, cui sæpe sæpius momentanea , eaque peccaminosa delestatio præponitur, atque ita gratia venditur. Judas mercator pessimus dicitur, eò quod gemmam pretiosissimam Christum 30. argenteis vendiderit. Judâ pejores, viliori quandoque vendunt. Væ ejusmodi stultis mercatoribus in ultimo illo adventu Domini ! dicetur illis : *nescio vos.* quia vos me pródegistis & pretium mei agnosce-re noluistis. Non sic nos A. A. sed ut monet S. Chrysostomus discamus nunquam negligere à DEO data, neque perdere magna propter parva & vilia. Quod si aliquis neglexisset, gemmam & rorem hunc perdidisset; hoc sacro tempore clamare & ingeminare non cesset : *Rorate Cœli !* O aurea hora quando venies ! O Luna pulchra & plena, quando rorem paries ? enhiat cor meum, ut concha: expando cum Gedeone vellus desideriorum meorum: cum Jacob de rore Cœli benedici postulo ! Porro ubi desiderio adverterimus annuisse Rorem hunc aureum, hanc pretiosissimam gemmam feramus in corde , ut vicissim ejus in corde ab ipso portemur, id est, æternum amemur.

Matth. 25.



PRO-